



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XVIII. Musaeus idem ac Moses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

libitu Aristeam solitum Veteres commenti sunt, vivumque sepius apparuisse, cum mortuus putaretur: Moses in Nili profluentem demissus, & morti devotus, vivus exiit; idem, cum à Pharaone ad mortem quæreretur, *fugiens de conspectu ejus, moratus est in terra Madian*; cum mora deinde in monte facta periisse crederetur, salvus illac fusque descendit. Corpus denique Aristeæ, in fullonica defuncti, neutiquam quærentibus apparuit, uti neque illud Mosis, postquam in monte obiit.

Exod. 2. 15.

Musæum idem ac Mosis.

Nansen, libr. 3.

de bono, apud

Euseb. Præp.

Evang. libr. 8.

Justin. Paten.

Euseb. Præp.

libr. 11. cap. 11.

Athen. libr. 13.

Euthym. Zig.

Saracen.

Cedren. Chr.

Scalig. Not.

in Fragm.

Herod. libr. 1.

cap. 131. & libr.

1. cap. 8.

Seld. De Dis

Syr. Synt. 1.

cap. 4.

Clem. Alex.

Strom. 1.

Laërt. Proem.

Clem. Alex.

Strom. 1.

Strab. libr. 16.

Herodot. libr. 7.

cap. 6. & libr.

2. cap. 96.

Suid. in Me-

mor.

Clem. Alex.

Strom. 1.

Euseb. Chron.

libr. 1.

Turn. Adv. libr.

28. cap. 46.

Serv. in Virg.

Æn. 6.

Artap. apud

Euseb. Præp.

Evang. libr. 9.

Orpheus

idem ac Mo-

ses.

Clem. Alex.

Strom. 1.

Euseb. Chron.

Eustath. in

Hom. Iliad. c.

Herod. libr. 1.

Eustath. in

Hom. Iliad. c.

XVIII. In Musæo Mosaicum inesse quippiam, vel nomen ipsum nos admonet: nam Numenius Pythagoreus mentionem Mosis faciens, non aliter eum quam Musæum appellat, Lunæ filium fuisse auctores sunt Pseudo-orpheus apud Justinum & Eusebium, & Hermesianax apud Athenæum; idcirco, opinor, quod è Madianitide prodiiit Moses ad Ebræos servitio liberandos. Atqui circumstantes Madianitidem gentes, & Madianitarum non pauci, Lunæ cultui erant dediti. Cubar eam appellabant, seu potius Cabar, hoc est *Magnam*, ut exponunt Euthymius, & Cedrenus; ab Ebræo *כבב*. Appellabant & Alilat, quod interpretatur Scaliger, *Noctilucam*: Ebræi dixerunt Lilith: apud Herodotum est *ἀλίττα* & *ἀλιλάτ*; cujus religionis vestigia hodie etiam retinere Muhammedanos recte à Seldeno observatum est. Sed de eo nos alibi. Propter diuturnam etiam illam Mosis in Arabia mansionem, Liber, quem Mosem esse constat, in Arabia educatus esse dictus est à Poëtis. Musæo tribuitur Musices studium ac Lyricæ poëseos: calluisse Mosem scribit Clemens Alexandrinus *ἰοδυντικῶς τε, καὶ ἀρμονικῶς, ἐν τῇ ἰατρικῇ ἀμα καὶ μουσικῇ. Numerorum musicorum, sonorumque scientiam, medicinam præterea & musicam*: ac ejus certe hymni extant in Pentateucho. Orphei à quibusdam discipulus, à nonnullis imitator, ab aliis filius fuisse dicitur; Orpheum autem Mosem esse mox ostendam. Primus Musæus Theogoniam & sphaeram docuit, & ex uno omnia esse, in idque resoldi dixit, teste Diogene Laërtio; quo propter Philosophus, & Theologus à Servio fuisse dicitur: hæc mirifice in Mosem conveniunt, qui mundi creationem, & rerum principia explicavit, qui de Deo, uno omnium auctore ac fine, Deique colendi ritibus præclare disseruit; qui à Chaldeis denique & Ægyptiis celestium motuum doctrinis accurate instructus est, ut habet Clemens Alexandrinus. Tres futurorum præciosos vates simul commemorat Strabo, Orpheum, Musæum, & Mosem, qui tres unus, idemque sunt. Igitur *ῥησιμῶς* sub Musæi nomine Onomacritus supposuit, & Onomacritum *ῥησιμολογῶν τε, καὶ θεοδιδάκτου ῥησιμῶν τῆ μουσικῆ* oraculorum interpretem, & oraculorum Musæi ordinatorem, appellat Herodotus; & alibi quoque prædictorum quorundam Musæi meminit. Floruisse vult Suidas sub Cecrope secundo, in cujus ætatem conjunctum Clemens Alexandrinus, & Eusebius Liberum, & Perseum, & Amphionem. Hi autem expressæ sunt Mosis imagines, uti partim jam demonstratum à me est, partim mox demonstrabitur. Atqui ad ætatem primi Cecropis *τῆ θεοῦ*, quem Mosem esse dixi, referenda ista erant. Sed Græci Chronologiam ad Mythologiam suam accommodarunt. Hic à me impetrare non possum, ut Turnebi, viri sane quam docti, puerilem errorem præteream: mirari aut plerosque tam honorificam Musæi mentionem à Virgilio factam, Homeri prorsus nullam, ac propterea ipsi aliquam à Græcis livoris labem aspergi. Quasi vero Æneas in inferis nancisci potuerit Homerum, qui diu post Trojanum bellum natus est. Tam diversæ certe de Musæo hominum sententiæ, quas agnovit & conquestus est Servius, veritatem fabulis dissimulatam olent. Disconvenit inter fabulatores de parentibus; nam alii Orphei, quidam Antiphemi, nonnulli Lunæ, alii Eumolpi, alii Thamyra filium fuisse fingunt. Disconvenit de patria; alii quippe Eleusinium, alii Thracem, quidam Thebanum faciunt. De ætate disconvenit; alii enim Orphei coævum, alii antiquiorem, quidam recentiorem statuunt. Definam in præclaro Artapani testimonio, qui disertis affirmat verbis, eum qui ab Ebræis Moses appellatus est, eundem à Græcis Musæum esse nominatum, eundemque Orphei præceptorem fuisse.

XIX. Ad Mosis etiam exemplar Orpheus ipse expressus est. Tempus convenit, nam ponitur Herculi æqualis, Josuæ videlicet, ministro Mosis. Coævus ponitur & Aristæi, & Musæi, & Liberi, & Liberi, quibus omnibus Mosis unus adumbratur. Adscribuntur autem hi à Clemente Alexandrino & Eusebio Cecropis secundi ævo, cum ad ætatem primi Cecropis *τῆ θεοῦ*, qui fuit Mosis *ἀρχηγῶς*, verius pertineant. Quamobrem duos Orpheas finxerunt Veteres, ut legimus apud Eustathium; quorum alter alterum undecim *ῥησιμῶς* præcesserit: quod postremum inter Argonautas, quorum pars magna fuit, vixisse accepissent; alterum autem longe vetustiorum esse suaderet ratio. Quod si juxta Herodotum & Eustathium, aliosque complures, *ῥησιμῶς* statuumus annorum circiter triginta, & undecim *ῥησιμῶς* annorum ab Argonautarum expeditione retro numeres, in tempora Mosaica incidet. Idem fiet si à belli Tro-